



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 210. Conversus autem ad illas Iesus. v. 28.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

dit, sicuti & ad compassionem. Cum igitur Christus ita dehonorus esset, viro-  
rum verberibus & contumeliis, ecce confestim mulierum lacrymis  
& lamentis honoratur; quia considerabant amittere sese virum piū &  
sui consolatorem in omnibus angustiis & tribulationibus: quia videbant  
Christum tam miserabiliter sub ingenti sanctæ crucis mole vix in cedere  
posse ob acerbissimos dolores corporis, vulnera, sanguinis effusionem  
copiosissimam, *novissimum virorum vermem & non hominem, sed opprobrium  
hominum & abiectiōnem plebis, circumvallatum ærumnis & hominum pedi-  
bus conculcatum.*

**S**ic certe plangerent te omnes si in veritate te Dominum Deum sum-  
mum cognovissent. Quis enim non lamentaretur considerata tua innocentia,  
quod tu Dei filius contumeliam, quam ipsemet commoverat patereris;  
profecto vel laxo corde esse debebat & omnium ingratus quibus  
non lacrymaretur, ubi duæ tam magnæ causæ offeruntur; videlicet quod  
homo peccator hæc pati debuisset, & tu ipsa iustitia, verus Dei filius qui  
peccatum non feceras, in cuius ore dolus inventus non fuerat pro ho-  
mine hæc pati dignatus sis.

§. 210. *Conversus autem ad illas Iesus. v. 28.*

Magna fuit hæc Christi Domini in tantis malis generositas, quod  
non solum, ad circumstantes personas & actiones earum ad vertit oculos  
& mentem: sed etiam eas animose alloqui, imò sui doloris oblitus con-  
solari alios potuerit, neque solum consolari, sed quasi in templo quietus se-  
deret erudare. Quam verè & bene dixisti per prophetam tuum: converti-  
mini ad me, & ego convertar ad vos. Ecce enim istæ mulieres sese modo  
converterunt ad te, plorando & compatiendo & statim conversus allo-  
queris eas, doces, viam monstras ad salutem. Bonus Dominus, qui tam fa-  
cile respicit ad convertos.

**T**U, O Domine qui tantam lacrymis dolorique prærogativam indidisti,  
ut iratum te placent, & veniam peccatorum obtineant: concede pro-  
pitius ut eò omnem doloris & luctus copiam convertamus, ubi sicut male-  
mè est opus, ita & uberrimus eorum fructus exoptatur: quo tandem, qui  
per peccatum cecidimus, per veræ pœnitentiæ lamenta surgamus & con-  
solari mereamur.

§. 211. *Filiz Ierusalem. v. 20.*

Amicum & humanissimum exordium, orationem totam spondet  
benignam & quid aliud expectetur a bonitate melliflua Christi: in manu  
III